

## 1362-1362- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Ferrariam Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
Hec sunt acta capituli generalis apud Ferrariam celebrati  
anno Domini · M<sup>o</sup> · CCC<sup>o</sup> · LXII<sup>o</sup> ·

### Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc, scilicet: quod omni feria tertia, nisi festum simplex vel maius occurrerit, fiant tres lectiones de beato Dominico, patre nostro, preterquam a prima dominica quadragesime usque ad octavas pasche, et preterquam infra octavas, quando de ipsis agitur, et vigiliis festorum, quando propriam missam habent. De festo autem trium lectionum, si aliquod in dicta feria evenerit, fiat solum memoria in vesperis, matutinis et missa. Et hoc medio tempore observetur secundum modum qui sequitur: ad vespertas capitulum: quasi stella; hymnus: gaude, mater; versus: ora pro nobis; ad magnificat antiphona: magne pater, cum oratione: deus qui ecclesiam. Ad matutinum, invitorium: adsunt dom.; ymnus: novus. Antiphona super psalmos: florem pudicie; versus: iustum deduxit; lectiones de legenda de lectionario; responsoria tercii nocturni; Te deum pro tempore; versiculus in laudibus: ora pro nobis; capitulum sicut in vesperis; ymnum: ymnum nove; antiphona ad benedictus: benedictus [redemptor]; oratio: Concede. Ad primam, terciam, sextam et nonam antiphone, capitula, responsoria et oratio, ut in die festo; tempore autem resurrectionis tres primi psalmi dicantur additis locis debitis: alleluia. Missa vero de festo simplici dicatur.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur circa finem: tractatibus capituli aequaliter admittatur, addatur sic: nullus tamen frater, cuiuscumque condicionis aut gradus existat, si ex quacumque causa ab obediencia aut correctione ordinis exemptus est, talibus tractatibus admittatur, nec in aliqua electione, aut actu ordinis vocem habeat, nec ad prelacionem aut officium ordinis quodcumque possit assumi; et statim sequatur, ut ibi: prior autem provincialis.

### Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: Prior autem illius loci, ubi capitulum fuerit celebrandum, cum diffinitoribus capituli provincialis ad celebrationem eiusdem capituli admittatur, addatur sic: quilibet autem vicarius provincie per quemcumque modum legitime fuerit institutus, locum provincialis teneat, fidelium dicat, licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis illius provincie, durante capitulo provinciali duntaxat; et statim sequatur, prout ibi ponitur: predicti diffinitores autem. Et hec habet duo capitula.

### Iste sunt ordinaciones.

Cum cunctis pateat evidenter a recta via vivendi quomodolibet declinari [et] dampnabiliter obliquari, certa quoque nos docuerit experientia fratres nostros a nostris constitutionibus et regula sanctissimis declinasse, mandamus et imponimus districtius, iniungendo prioribus provincialibus universis ac eorum vicariis quibuscumque necnon et singulis presidentibus conventuum singulorum sub pena absolucionis ab officio ac privacionis omnium ordinis graciaram, quatenus ad observancias regulares secundum nostrarum constitutionum et regule realiter et de facto reducere satagant semetipsos et fratres omnes et singulos sibi subditos, quovis modo per penitencias in nostris constitutionibus positas nullatenus omittendas efficaciter, et ad hoc ipsum compellant, alias insuper addendo penas graves, prout ipsi reformationi ordinis viderint expedire. Specialiter autem studeant reducere semetipsos et fratres alios ad sequendum nocte dieque chorum, et ibidem divinum officium celebrandum secundum modum fratribus per reverendum magistrum ordinis in alio capitulo cunctis datum, ad tenendum silentium, inclinandum, cibum sumendum, a carnibus abstinendum, receptionem noviciorum, et eorum instructionem, lectos, vestitum et ingressum quarumcumque mulierum ad quascumque conventus officinas; studencium deposicionem, appropriatorum exhibicionem et ipsorum deposicionem in communi conventus deposito; et racionis reddicionem scilicet de expensis factis a fratribus saltem semel in duobus mensibus sub pena privacionis irrecuperabilis appropriatorum suorum; predicatorum, confessorum et visitatorum ordinacionem, itinerancium receptionem et eiam fratrum hospitem cum litteris veniencium dimissoriis ac eiam eorum correctionem, et generaliter ad omnia et singula facienda, que fratribus in nostris constitutionibus imponuntur fienda. Et ut omnia supradicta melius serventur, mandamus et imponimus ordinis presidentibus, prout ad unumquemque pertinet, quod constitutiones ordinis et acta capitulum habeant studiosius correcta singulis mensibus legenda, secus alias in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Cum multi priores et presidentes precipitanter precepta fulminent et multiplicent indiscrete, volumus et ordinamus, quod nullus prior vel supprior vel vicarius huiusmodi precepta facere presumat, nisi de consilio discretorum, eorum videlicet qui ad consilia alias vocari consueverunt ordinarie.

Item. Volentes evagandi materiam subtrahere et circuitus inutiles refrenare, volumus et ordinamus, quod nullus frater de conventu ad conventum alium discurrat, nisi secum presidencium suorum testimoniales litteras ferat, ut constitucio dicit, nec de provincia ad provinciam sub pena gravioris culpe debita sine licencia sui prioris provincialis vel vicarii generalis. Et ne cautelose presidentes decipiant, nulli credatur se perdidisse licencias predictas, sed statim et indilate puniantur, sicut sine licencia presidencium evagantes.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater ad monasterium quodcumque monialium seu eiam congregaciones mulierum accedat sine licencia obtenta suorum presidencium secundum moderacionem priorum

provincialium illorum conventuum vel locorum, in quibus dicta monasteria sunt situata, sub pena gravioris culpe, quam incurrat oppositum faciens et quam sustinere decem diebus continuis per presidentem, postquam ei legitime constiterit, infra mensem sub pena consimili compellatur. Et sub eadem pena per omnia, ut supra, quam incurrant ipso facto districtius ordinamus, quatenus nullus frater clausuram dictorum monasteriorum interiorem intrare presumat, nisi in casibus in earum constitutionibus expressis, volentes nichilominus, quod ordinationes magistri ordinis et provincialium in monasteriis eis subiectis, et precipue, si ipsis graviores sint, in suo robore perseverent.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater pecuniam vel bona quecumque sibi concessa apud personas seculares vel etiam sorores ordinis nostri [vel] quascumque alias ordini non subiectas teneat vel deponat sine licencia suorum presidentium petita et obtenta, quam non concedant sine causa rationabili et urgente. Si quis autem oppositum fecerit, eum privamus pecunia et bonis predictis et illa sine spe habendi ad conventum, de quo est, applicamus. Cuius presidenti de predictis bonis omnibus per singula et in scriptis teneatur expresse facere mentionem.

Item. Volumus et ordinamus, quod fratres ad conventus, pro quibus recepti sunt, redire cogantur, et ex nunc omnes fratres ordinis, magistris in theologia duntaxat exceptis, ad conventus illos, pro quibus sunt recepti, simpliciter revocamus, nisi propter officia aut studia aut scandala vel propter aliam causam rationabilem prioribus provincialibus illorum fratrum aliter videatur, et nisi alteri conventui vel provincie auctoritate magistri ordinis fuerint assignati.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus magister Parisiensis, postquam fuerit licenciatus, de conventu Parisiensi recedat, sed ibidem permaneat, legat et regat, quousque presentem ibidem habuerit successorem, nisi a magistro ordinis super hoc habuerit licenciam specialem. Quod si forsitan aliquis recedere presumpserit sine predicti magistri licencia obtenta, ad expensas teneatur pro toto illo tempore illi, qui supplebit pro eo; ad quas solvendas rogamus, ut per magistrum ordinis efficaciter compellatur; et eodem modo volumus et ordinamus, quod baccalarii Parisienses, postquam illuc venerint, inde nullatenus discedant, sed quousque magistrati fuerint, continue permaneant ibidem. Quod si quis eorum contrarium huic ordinationi attemptaverit, eum privamus omni presentatione nisi ex causa rationabili cum eo magister ordinis aliter dispensaverit.

Item. Committimus prioribus provincialibus vel vicariis generalibus provinciarum, quod si aliquos incarceratos in suis provinciis habent, quorum liberatio ad solum capitulum generale pertineat, eos a carcere educere possint, si ex rationabili causa hoc iudicaverint expedire.

#### **Iste sunt declarationes.**

Declaramus, quod socii conventuum electi ad capitulum provinciale, vocem tantum habeant in capitulo provinciali illius anni, pro quo fuerunt electi. Si autem ex causa vel impedimento a capitulo provinciali illo anno supersedeatur, ad tractatus capituli provincialis anni sequentis nullatenus admittantur.

Item. Denunciamus et fratri cuicumque ordinis ad memoriam reducimus, quod habetur in capitulo De itinerantibus, ubi sic dicitur: Si quis frater ordinis nostri per se vel per alium pro se vel pro alio ordinationem de se vel de alio factam vel obedienciam sibi vel alteri fratri iniunctam per quamcumque personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam quocumque modo procuraverit revocari, vel in aliqua provincia seu conventu aut etiam officio sive etiam studio generali poni vel remanere vel inde amoveri vel cum personis extraneis commorari, ipso facto ex vi presentis statuti in penam incidit graviori culpe debitam, in qua cum tali dispensari non possit nisi per magistrum ordinis aut capitulum generale. Talis autem, quamdiu erit in hac penitentia, si predicator est, predicacionis officium non exerceat nec ad aliquod officium in ecclesia debet notari, nec illi aliqua obediencia committi, nec vocem habeat nisi in sua accusatione, et si sacerdos fuerit vel diaconus, hiis officiis non fungatur, et sic celebrare et confessiones audire et alia sacerdotis officia exercere non poterit, ut in capitulo de graviore culpa cum multis aliis expressius continetur.

Expliciunt acta quantum ad ordinationes capituli generalis apud Ferrariam celebrati.